



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa  
Sacramenta, accuratè declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1664**

Dispvatio LXXXIV. De Pœnitenitiâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13826**

DISPUTATIO OCTOGESIMA  
QUARTA.

## De Pœnitentiâ.

**A** Questione octogesima quarta tertia partis de Pœnitentiâ agit Doctor Angelicus usque ad nonagesimam, ubi Sancti ejus conatus morte interveniente impediti sunt, magnoq; Orbis damno tantum lumen extinctum, quod fulgentissimis suis radiis mundum illustravit, relictisq; a se monumentis perpetuo illustrabit.

## SECTIO PRIMA.

## De nomine &amp; aliis ad Pœnitentiam spectantibus.

I.  
Pœnitentia est quartum ordine doctrinae Sacramentum.



uartum ordine doctrinae inter Sacramenta locum obtinet Pœnitentia, tum quia Concilium Florentinum in decreto Eugenii IV. ad Armenos illam quartum Sacramentum nominat, & Trident. sessione decima-quarta quarto loco de eâ tractat, tum etiam quia licet quandoque ad Sacramentum Eucharistiae, imo & Confirmationis præmitti debeat pœnitentia, per se tamen loquendo hoc non requiritur; unde, ut supra vidimus, pueris olim statim post Baptismum dabatur Confirmatio & Eucharistia. In Baptismo itaque primo producitur vita spiritualis, Confirmatione roboratur, nutritur Eucharistia, Pœnitentiâ demum, ubi opus fuerit, reparatur. Quare Sacerdos in sua ordinatione prius consecrandi, tum absolvendi potestatem accipit.

II.  
Quid nomine Pœnitentia dantur.

Circa nomen Pœnitentiæ S. Augustinus libro de verâ & falsâ Pœnitentiâ cap. decimo nono, Sanctus Isidorus libro tertio Etymologiarum, cap. ultimo, & alii Patres, quos Theologi omnes sequuntur, *Pœnitere* idem esse volunt, ac pœnam tenere, quod dolorem de peccatis præteritis, & quandam pro iis multam ea admittentibus impostam significat juxta illud Christi Mathæi undecimo: *In cilicio & cinere pœnitentiam egissent*, & Job cap. ultimo: *Ago pœnitentiam in favilla & cinere*, & per Prophetam Joël cap. 2. dicit Deus: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis, & fletu, & planctu*: quæ omnia Pœnitentiæ nomine dolorem, luctum, & pœnam importari aperte innuunt.

III.  
Hæc pœnitentia accipio mi-

Hæc tamen vox illo modo explicata delicatis nostri temporis hæreticis non sapit, ad ipsum Pœnitentiæ nomen nausent, cæli semitam nondum etis ac vepribus, sed rosis stratum clamitant,

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. II.

omnia mollia ac suavia auditoribus instillant, & ut acutè Pater Edmundus Campianus ratione 5. *quantum hæreticis nostri temporis displicent.* *Omni cubito pulvillus assuunt.* Pœnitentiam itaque aliud nihil esse volunt, quàm resipiscentiâ, & melioris vitæ propositum, quibus hæc in parte; ut in aliis multis facem prætulit Erasmus ob græcum vocabulum *μολόγια* seu *μολογία*, quod hunc sensum præ se ferre videtur, unde Lutherus apud Bellarminum libro primo de Pœnitentiâ, cap. septimo, Erasmus citans, ait in Epistolâ ad Vicarium sui ordinis se studio eruditissimorum hominum tandem didicisse Pœnitentiam, non dolorem de vitâ præteritâ, sed amorem novæ significare, & hoc nomen nihil habere amarum, nihil acerbum, sed omnia grata ac dulcissima.

Præterea in sermone de Pœnitentiâ ait: *Si quis peccatorum suorum gravitatem, damnum, sceditatem, multitudinem ponderans tristitiam ac dolorem in se excitet ob æternæ vitæ amissionem, &c. hunc esse hypocritam, & talem tristitiam magis peccatorem facere; tandem hujusmodi asserit indignè absolvi. Quem ejus articulum cum damnasset Leo decimus, is in libro contra bullam, quam vocat Antichristi, sic respondet: Meus certe est ille articulus, & Christianissimus, quem mihi impunerabilibus Papis & papistis non sinam extorqueri.*

At quàm parum rationi consonum sit ex solâ nominis etymologiâ velle contra Doctores omnes, tum sacros, tum profanos sensum hujus vocis ita restringere quis non videat; eam enim pro dolore & pœnâ usurpat Scriptura, ut ostensum est, usurpant Patres, ut declarat Bellarminus citatus, Suarez Tomo quarto in tertiam partem, disp. primâ, Vasquez ibidem quest. 84. articulo primo, dubio primo, Coninck disp. 1. de Pœnitentiâ, dubio primo, apud quos etiam videri poterunt Authores profani, qui hoc sensu Pœnitentiam accipiunt: unus nobis sufficiat Alfonso, qui in Epigrammate de occasione & Pœnitentiâ sic scribit:

*Sum Dea qua facti, non facti, exigo pœnam  
Nempe ut pœniteat: sic Metanaa vocor.*

Sf 2

In



VI.  
Sacramentum & virtus Pœnitentiæ in quibusdam differunt.

In quibusdam conveniunt Sacramentum & virtus Pœnitentiæ, in quibusdam differunt: in primis conveniunt in nomine, quod utrique commune est, deinde in ratione medicinæ vel utilis, vel necessariæ ad peccata in adultis delenda, quâ de causâ dicitur *secunda post naufragium tabula*; prima enim tabula est Baptismus, tertia autem tabula non est necessaria; quantumcumque enim homo postea labatur, præsto tamen semper est hæc tabula, quam homo sæpius arripere potest, & illius ope è fluctibus emergere. Conveniunt præterea quod utrumque habeat peccatum tanquam materiam circa quam versetur.

VII.  
Quo pacto virtus & Sacramentum Pœnitentiæ differant ex parte subjecti.

Differunt verò primò ex parte subjecti; esto enim & virtus & Sacramentum Pœnitentiæ, ut in homine exerceatur, requirat ut sit adultus, in hoc tamen differunt, quòd actus virtutis Pœnitentiæ, in quovis peccati actualis capace reperiiri possit, Sacramentum verò Pœnitentiæ ulterius requirit ut homo sit baptizatus, tum quia Baptismus est janua Sacramentorum, tum quia sola peccata post Baptismum commissa, sunt verè materia Sacramenti Pœnitentiæ, cum alia per se non sint subjecta clavibus, & Ecclesia de iis quæ foris sunt non judicet, ut ex Concilio Tridentino sessione decimâ quartâ, cap. primo & secundo ostendimus in tractatu de Sacramentis in genere. Differunt præterea quòd virtus Pœnitentiæ antiquitate multum superet Pœnitentiæ Sacramentum; hoc enim à Christo in lege tantum gratiæ institutum est; tunc enim primò hominibus collata est potestas peccata remittendi: at verò Pœnitentiæ virtus in lege naturæ adeoque semper fuit, quâ proinde primus parens in ipso mundi exordio usus est, & exinde semper ad hæc usque tempora in Ecclesiâ apud fideles permanfit.

SECTIO SECUNDA.

Sine in Lege novâ propriè dictum Pœnitentiæ Sacramentum.

I.  
Novatiani & Montanista olim Sacramentum Pœnitentiæ negabant.

MONTANISTÆ olim & Novatiani, teste Sancto Hieronymo, & Sancto Augustino, illo de Scriptoribus Ecclesiasticis in Novat. & libro secundo contra Vigilantium, cap. secundo, hoc libro de hæresibus, numero trigésimo octavo, Pœnitentiæ Sacramentum negabant: unde Sanctus Hieronymus loco proximè citato: *Montanus, inquit, & Novatus contendunt non posse renovari per Pœnitentiæ eos, quæ crucifixerunt sibi et Filium Dei, & ostentui habuerunt.* Horum verò errorem dudum confutârunt Sanctissimi hi Doctores, & hoc eorum effatum, hæreticum esse dogma ostenderunt.

II.  
Hoc Pœnitentiæ Sacramentum, non ab Apostolis, aut ab Ecclesiâ, sed à Christo ipso est institutum.

Hoc porro Sacramentum non ab Apostolis, ut quidam perperam sinxerunt nec ab Ecclesiâ, sed à Christo ipso fuit institutum, ut communis semper tenuit Doctorum omnium sententia, nec ullus Orthodoxorum dissentit, definitumque est à Concilio Tridentino, tum sess. septimâ, canone primo, ubi hoc de omnibus novæ legis Sacramentis docet, tum sess. decimâ quartâ, capite primo, & canone primo, & sexto, ubi peculiariter agit de Sacramento Pœnitentiæ.

III.  
Certum de Fide est dari in Ecclesiâ Sacramentum.

Dari ergo in Ecclesiâ Catholicâ verum & propriè dictum Pœnitentiæ Sacramentum veritas est fide certa, & definita tum in Concilio Florentino in decreto Eugenii quarti ad Armenos,

tum Tridentino sess. decimâ quartâ, canone primo & secundo, Patrèsque omnes affirmant, tum Græci, tum Latini, qui videri poterunt in Bellarmino libro primo de Pœnitentiâ, capite decimo, qui hoc toties tamque claris verbis asserunt, ut aliud effugium hæreticis nostris hæc in re relictum non sit, quàm ut eorum auctoritatem negent: unde Calvinus non semel gravissimè in Patres invchiur, quòd Pœnitentiæ appellent secundam post naufragium tabulam.

Luculentum ad hoc probandum testimonium habemus Joannis vigésimo, ubi Christus Apostolis ait: *Quorum remisistis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt;* quibus verbis non potestatem prædicandi Evangelii, ut hæretici affirmant, sed vim remittendi peccata contulit Christus Discipulis; id enim hæc verba significant: sic enim quando Christus, Matthæi 9. Paralitico dixit: *Remittuntur tibi peccata tua,* non prædicabat ei per verba ista Evangelium, sed peccata remisit, alioquin non fuissent scandalizati Pharisei, & alii ea audientes.

Jam autem Pœnitentiæ, seu potestatem remittendi peccata esse verum Sacramentum probatur: Sacramentum enim, ut diximus dum de Sacramentis in genere, *Est res vel ceremonia facta sensibilis ad gratiam, tum significandam, tum causandam stabiliter instituta.* Hæc autem competunt nostræ Pœnitentiæ, in quâ & signum sensibile intervenit, nempe Confessio cum verbali absolutione, & gratiæ causatio, cum Christus ei peccatorum remissionem promiserit, & consequenter collationem gratiæ; pro hoc enim statu peccata sine infusione gratiæ non tolluntur.

Contrarium, uti dictum est, asserunt hæretici, primò Novatiani, qui omnem omnino; homines post Baptismum lapsos à peccatis absolventi potestatem Ecclesiæ demebant, soli que Deo reservabant: deinde nostri temporis Novatores qui tamen varii sunt; aliqui enim Pœnitentiæ nihil aliud esse dicunt quàm annunciationem Evangelii, quod tamen jam satis rejectum est, & licet concederetur, adhuc si gratiam conferret, esset Sacramentum, cum annunciare hominibus Evangelium aliquid externum sit. Alii Pœnitentiæ distingui nolunt à Baptismo, quod tamen & apertè est contra Patres omnes; Sanctus enim Hieronymus libro 1. contra Pelagianos; *Redimatur, inquit, sanguine Salvatoris aut in domo Baptismatis, aut in Pœnitentiâ, que imitatur Baptismatis gratiam:* Sanctus Cyprianus sermone de ablutione pedum sic loquitur: *Post Baptismum, qui sui reverentiæ non patitur iterari, aliud lavacrum proceasti, &c.* Idem, ut alios omittam, docet Sanctus Augustinus Epistolâ 180. ad Honoratum inter alia his verbis: *Si ministri adsunt, alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli dominici corporis communionem fraudantur.* Deinde non possent Sacerdotes retinere peccata hominum baptizatorum, cum tamen universalem iis potestatem concesserit Christus, & remittendi & retinendi quorumvis peccata. Præterea nimia esset hominibus facta peccandi licentia, si quantumvis multa committant & gravia peccata statim per Baptismum jam antea susceptum remitterentur.

Quæres: A quo absolvatur homo per Sacramentum Pœnitentiæ? ut omittam hæreticos, varii sunt etiam inter Catholicos dicendi modi. Hugo Victorinus libro primo de Sacramentis, quæst. decimâ quartâ, capite octavo: Richardus etiam de Sancto Victore in libro de potestate ligandi atque

tum Pœnitentiæ.  
IV.  
Dati Sacramentum Pœnitentiæ clavè ex facris Litteris ostenditur.

V.  
Ostenditur Pœnitentiæ, de qua hic loquimur, esse verè & propriè dictum Sacramentum.

VI.  
Non eodem modo hæretici negant Pœnitentiæ esse Sacramentum.

VII.  
Quidnam sit à quo homines absolvantur per Sacramentum Pœnitentiæ.



atque solvendi, capite duodecimo, docent Sacerdotem absolvi à pœnâ æternâ debitâ peccato postquam Deus prius absolvit à culpâ. Joannes de Medina & alii, qui ad Sacramento Pœnitentiæ requirunt veram contritionem, dicunt per contritionem remitti culpam & pœnam æternam, per Sacramento verò Pœnitentiæ aiunt homines absolvi ab exilio patriæ cœlestis. Gabriël, Ocham, & alii Nominales volunt per contritionem, quam requirunt, semper remitti culpam, & pœnam, per verba autem absolutionis solum liberari dicunt homines ab obligatione peccata illa amplius consistendi. Magister in quarto, dist. 18. docet per verba absolutionis solum declarari hominem absolutum, dici verò absolvi à peccatis, quia ab iis absolvitur in facie Ecclesiæ. Tandem Alexander, S. Bonaventura, & alii asserunt potestatem Sacerdotum non extendi ad absolutionem à peccatis, vel etiam à pœnâ æternâ, sed ad absolvendum solum à pœnâ temporali, quod, inquit, est absolvere à peccatis juxta illud Machabæorum secundo, capite duodecimo: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

VIII.

*Vera sententia est per Sacramento Pœnitentiæ conferri ipsorum peccatorum remissionem.*

Dicendum tamen contra has omnes sententias, per verba absolutionis in Sacramento Pœnitentiæ veram conferri peccatorum remissionem: ita omnes hodie, nec contrarium jam sine errore teneri potest, cum definitum hoc sit in Concilio Florentino in decreto Eugenii, Paragrapho *Quartum Sacramento*, & in bullâ Martini V. contra errores Joannis Hus, & omnium clarissime in Concilio Tridentino, sessione 14. canone primo, ubi dicitur Pœnitentiæ Sacramento esse à Christo institutum ad fideles, quoties post baptismum in peccata labuntur, Deo reconciliandos: quod etiam docet in sequentibus, per Pœnitentiam scilicet liberari homines à peccatis post baptismum commissis, sicut per baptismum à peccatis prioribus, eamque esse secundam post naufragium tabulam, &c. Probatur ulterius, nam Cœlestinus Papa, & Concilium Africanum dicunt Sacerdotem negantem absolutionem morientibus esse reum animarum. Hoc etiam clarè verba illa Christi indicant dum Sacerdotibus potestatem dat remittendi peccata, quod in nullo sensu in superioribus sententiis posito proprie salvari potest.

*Sacerdos negans absolutionem morientibus est reus animarum.*

IX.

*Obijciat: ad hoc Sacramento requiritur contritio, ergo peccata nunquam remittuntur per absolutionem.*

Dices, ad Sacramento Pœnitentiæ requiritur contritio, ergo per formam absolutionis nunquam remittuntur peccata, cum dolor de peccatis semper, etiam tempore præcedat absolutionem, moraliter saltem loquendo aliud contingere non potest. Sed contra, nam ut omittam impugnationes illius sententiæ, quas supra posui disp. 66. dum de Sacramento in genere, Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, capite quarto ait contritionem imperfectam, quam attritionem vocat, quamvis extra Sacramento ad justificationem non sufficiat, in Sacramento tamen sufficere, ergo juxta Concilium non requiritur ad Sacramento Pœnitentiæ contritio.

X.

*Exemplum resuscitationis Lazari in omnibus non quadrat absolutioni à peccatis.*

Dices secundò: Lázarus à solo Christo est ad vitam revocatus, quem tamen postea Apostoli jussu Christi à vinculis solvebant, & dimittebant liberum. Respondetur cum Auctoribus communiter hoc exemplum, eum sensum totum præ se ferat allegoricum, non debere in omnibus habere perfectam similitudinem cum absolutione Sacramentali: quare Sanctus Augustinus tract.

quadragesimo nono in Joannem, & alibi ait, per vitam peccatoris ante solutionem à Sacerdote collatam, non intelligi vitam gratiæ seu habitualement, sed vitam tantum actualem, dolorem scilicet quo peccatum detestatur, & movet se ab intrinseco, & peccatum per confessionem productoras: unde per vitam quam à solo Deo dari asserunt Patres in resuscitatione peccatoris, intelligunt hunc dolorem & confessionem, quæ conferri non possunt ministerio Sacerdotum, sed à solo Deo cor hominis tangente per gratiam.

Ideo etiam dici potest solus Deus remittere peccata, quod is solus auctoritate & nomine proprio hoc præstet, cum ille tantum propriè injuriam condonare possit, cui injuria illa est facta: Unde Sacerdos non nomine proprio, sed Dei, peccata remittit, quæ etiam de causâ non incongruè dici potest Deus solus peccata remittere. Quod verò affirmari solet ex Sancto Hieronymo, dum dicit sententiam Sacerdotum non valere apud Deum, sed vitam ab eo quæri: hoc inquam solum probat Sanctum Hieronymum reprehendere pharisaicam, ut ait, quorundam Sacerdotum superbiam, qui freti potestate sibi à Deo concessâ, quoscumque pœnitentes absolvebant, aut ligabant pro libito, sive dispositi essent sive indispositi, quod ait Sanctus Hieronymus fieri ab iis non posse, & sicut veteris legis Sacerdotes judicabant de leprâ corporali, ut infectos eâ liberarent ab immunditiâ legali, ita nostri videre debent num laborent peccatores leprâ impœnitentiæ, ut sic eos à peccatis absolvant.

XI.

*Quam ob causam dici potest Deus solus remittere peccata.*

SECTIO TERTIA.

De necessitate Sacramenti Pœnitentiæ ad peccata remittenda.

SERMO tantum est de mortalibus, quæ simpliciter peccata dicuntur, & quærimus licet per Contritionem aut actum Charitatis remitti etiam hæc possint, an saltem deferri debeant ad hoc tribunal, & quo jure.

*Hic solum loquimur de peccatis mortalibus.*

Suppono ex Concilio Tridentino sessione 14. capite primo de Sacramento Pœnitentiæ, fuisse præcipuè institutum à Christo Sacramento Pœnitentiæ, cum post resurrectionem à mortuis infussit in Discipulos suos Joannis cap. vigesimo, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: quamvis enim Matthæi decimo-sexto & decimo-octavo facta sit Sacramenti hujus promissio, post resurrectionem tamen fuit præcipuè institutum hoc Sacramento.

*Quando Sacramentum Pœnitentiæ fuit à Christo præcipuè institutum.*

Tunc igitur erexit Christus tribunal ante quod sibi voluit tanquam reos illos omnes, qui post baptismum susceptum crimine aliquo se contaminaverunt, ut docet Tridentinum supra, capite secundo: ex quo deducunt Theologi modò omnes contra nonnullos ex Scholasticis antiquioribus confessionem Sacramentalem esse juris Divini, & non tantum Ecclesiasticæ esse juris Divini, & non tantum Ecclesiasticæ esse juris Divini, & non tantum Ecclesiasticæ esse juris Divini definit Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, canone sexto & septimo, & capite quinto.

*Tunc etiam hoc tribunal erexit, ante quod peccatores post baptismum lapsi sibi voluit.*

Probatur, nam ut docet Concilium capite illo quinto: *Christus Sacerdotes suos Vicarios reliquit, tanquam Praefides ac Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in qua Christi fideles inciderint, quò pro potestate clavium, remissionis aut retentionis*

*Veritas prædicta probatur ex verbis Concilii Tridentini.*



retentionis peccatorum sententiam pronunciant; constat enim Sacerdotes iudicium hoc incognitâ causâ exercere non potuisse. Ex quibus Concilii verbis deducitur necessitas hujus Sacramenti; si enim Christus per illa verba constituit Sacerdotes suos Vicarios; ergo sicut antea debebant homines confiteri peccata Deo, ut illorum remissionem obtinerent, ita jam confiteri ea debent Sacerdotibus. Deinde ipso facto, quod Princeps causæ tribunal in suo regno erigat, debent causæ omnes eo deferri; ergo & peccata ad tribunal Pœnitentiæ deferri debent, ut ab iis homines absolvantur, & licet per Contritionem remitti possint peccata, etiam mortalia, semper tamen id fit in ordine ad pœnitentiam ejus votum est contritio.

V. *Utrum ex potestate remittendi peccata, an retinendi melius colligatur Sacramenti hujus necessitas.*

Controversia gravis est inter Auctores, num magis propriè deducatur necessitas hujus Sacramenti ex potestate remittendi peccata, an retinendi; utramque enim Christum Apstolis per verba illa concessisse constat. Bellarminus libro tertio de Pœnitentiâ, capite secundo, Maldonatus, & alii hoc deducunt ex potestate remittendi ob rationem jam factam. Suarez tamen hic, disp. 17. sect. 2. num. tertio, Tannerus quæst. 1. dubio tertio, Coninek disp. 5. dub. primo, num. 7. Vasquez hic, quæst. 90. artic. primo, dubio 2. num. undecimo & decimo-octavo, cum aliis dicunt aptius hoc deduci ex potestate peccata retinendi; retinendi inquam judicialiter, non per meram negationem absolutionis, sed ferendo sententiam retentionis, donec pœnitens restituerit, occasionem aliquam peccandi præciderit, &c. unde cum à peccatis his, ne quidem per contritionem liberari possit, nisi animum habeat de Sacerdotis arbitrio & sententiâ submittendi, constat Sacramentum Pœnitentiæ esse ad salutem necessarium.

VI. *Abus hic judicialis in subditum magis in particulari declaratur.*

Retentio itaque propriè est actus judicialis in subditum prolatus, quando dispositus accedit ad absolutionem validè recipendam; si enim accedat indispositus, non est propriè loquendo retentio, cum nullum in eo effectum habeat circa permanentiam peccati, eodem quippe modo permaneret, licet Sacerdos actu illo id non retineret. Secundarius effectus hujus potestatis ligandi est obligatio ad satisfactionem, non tamen est propriè retentio peccatorum, cum ea jam remissa per sententiam judicialem sint, nec ulteriori Sacerdotis iudicio submitti debeant: quamvis etiam possit Sacerdos differre alicujus Baptismum, hoc tamen non est retinere juridicè peccata, primò quia cuiusvis hoc competit, deinde non fit in subditum, nec causâ cognitâ, & per sententiam judicialem, unde ad summum materialis est retentio, non formalis.

VII. *Obiicit Christus dedit potestatem Sacerdotibus absolventibus etiam à venialibus.*

Dices: Christus dedit Sacerdotibus etiam potestatem absolventibus à venialibus, & tamen ad eorum remissionem non est necessarium Pœnitentiæ Sacramentum; ergo ex potestate illis datâ non rectè arguitur necessitas consistendi peccata mortalia. Respondeo Christum primariò tradidisse potestatem illam respectu peccatorum mortalium, utpote quæ cœlum claudunt: secundariò autem respectu venialium, quæ proinde non sunt materia necessaria pœnitentiæ. Ratio est, quia data est hæc potestas tanquam potestas clavium regni cœlorum, claves autem dantur ad id aperiendum, quod clauditur, sola autem mortalia peccata cœlum claudunt; venialia enim stant cum gratiâ habituali, quæ dat jus ad cœlum, & conse-

quenter possunt in aliâ vitâ remitti, licet in hac non remittantur. Quia verò continentur sub peccatis mortalibus tanquam minus in majori, Christus dando potestatem respectu mortalium, dat consequenter respectu venialium.

Secundò responderi potest, concessam esse à Christo potestatem Sacerdotibus absolventibus à venialibus, quàm mortalibus, retinendi autem tantum mortalia, ac proinde commodius ex retentione peccatorum colligi necessitatem Sacramenti Pœnitentiæ, quàm ex remissione; frustra enim daretur potestas illa judicialiter peccata retinendi, nisi delinquens teneretur ad tribunal illud accedere; si enim integrum sit peccatori utrum accedere velit necne, licet quidem possit Sacerdos peccata ejus, posito quod accedat remittere, non tamen potest retinere, nisi accedere teneatur; si namque possit peccator aliis modis, etiam nolente Sacerdote, & absque eo quòd illius se voluntati subjiciat, à peccatis mortalibus liberari, sicut potest à venialibus, non magis possent illa retineri quàm hæc, nec magis esset necessarium peccatori pro illorum remissione ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere, quàm pro remissione venialium. Ex quibus omnibus deducitur, esto possit erigi tribunal ad quod quicumque accederent, à peccatis absolventur, licet accedere non teneantur, sed alia via possint se à peccatis liberare, non tamen erigi potest tribunal, in quo peccata retineantur, nisi incumbat hominibus obligatio ad illud accedendi, alioqui nullus accederet.

Quæres: Quâ necessitate necessarium sit ad salutem Sacramentum Pœnitentiæ, mediū aut tantum præcepti? Respondetur, lapsis post Baptismum Sacramentum Pœnitentiæ in re vel voto esse medium ad salutem necessarium: ita Sanctus Thomas hic, quæst. 84. art. quinto, & quæst. sexagesimâ quintâ, art. quarto, corpore, ubi docet duo Sacramenta, Baptismum scilicet absolute, Pœnitentiam verò iis, qui post Baptismum sunt lapsi, esse ad salutem simpliciter necessaria: Ordinem verò necessarium esse ait toti Ecclesiæ, reliqua autem Sacramenta ait solum esse necessaria secundum quid: Suarez disp. 17. sect. tertiâ, Vasquez quæst. 84. art. quinto, dubio unico, & alii passim, habeturque ex variis decretis Pontificum, ubi expressè dicitur, non posse quempiam justificari à peccato, nisi antea illud fuerit confessus.

Ad probationem notanda quædam ex dictis supra de Eucharistiâ, ubi fusiùs tractatum est quid sit esse necessarium ad salutem necessitate mediū, & quomodo differat à necessitate præcepti. Diximus ergo cum P. Vasquez tomo tertio in tertiam partem, disp. 169. cap. undecimo, licet ad salutem consequendam non minus requiratur executio eorum quæ necessaria sunt necessitate præcepti, quàm mediū, obligatio tamen præcepti obligantis sub mortali, negativè tantum conducit ad salutem, ne scilicet illud transgrediendo, impedimentum aliquod salutis nostræ opponamus, nempe novum peccatum, quæ verò necessaria sunt necessitate mediū, positivè ad salutem consequendam concurrunt, quia secum aliquid semper afferunt, quod peccata tollat, & homines, si in peccatis sint, justificet, quâ de causâ, ut bene notat Petrus Soto, hæc ita sunt media, ut etiam sint remedia.

Hinc itaque probatur Conclusio: Postquam quicumque homo, qui Baptismum recepit, in peccatum grave post

VIII. *Concessa est à Christo potestas absolventibus tantum à mortaliibus, retinendi autem tantum mortalia.*

IX. *Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum necessarium est mediū.*

X. *Notandum est supra dictis, quid sit aliquid esse necessarium necessitate mediū & præcepti.*

XI. *Peccatum grave post*



*Baptiſmum  
commiſſum  
remitti na-  
quit ſine Sa-  
cramento  
Pœnitentiæ,  
aut illius  
voto.*

XII.  
*Sacramento  
Pœnitentiæ  
ſubſtituitur  
contritio,  
aiuſq; propo-  
ſitum ſaltem  
conditiona-  
tum incli-  
dit.*

XIII.  
*Votum tri-  
dus modis  
ſumitur.*

grave lapſus eſt, non poteſt illius remiſſionem obtinere, & gratiam amiſſam recuperare, niſi vel per Pœnitentiæ Sacramentum, aut aliquid aliud quod illius vices ſuppleat, ſitq; votum illius, quod plerumque eſt contritio, unde ſine Sacramento Pœnitentiæ in re vel voto recuperari gratia, & ſalus obtineri non poteſt.

Ad peccati igitur mortalis poſt Baptiſmum commiſſi remiſſionem primò & per ſe inſtitutum eſt Sacramentum Pœnitentiæ, ut ſupra probatum eſt, quod propterea Sacramentum mortuorum dicitur, eſto autem per Contritionem remitti etiam poſſit hoc peccatum, ſemper tamen ſit in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, cui per ſe loquendo ſubſtituitur contritio, eſtq; proinde votum illius, & propoſitum ſaltem implicitum & conditionatum ejus involvit, non ſolum tanquam rei præceptæ, ſed tanquam alicujus quod per ſe ad gratiam recuperandam, & peccatum illud remittendum ordinatur, eſtq; illius remedium.

Votum ergo tripliciter ſumitur: primò latiffimè & improprie pro deſiderio alicujus rei, etiam non neceſſariæ, quo ſenſu Concilium Tridenti-

num ſeſſione decima-tertiâ, capite octavo de iis loquitur, qui per fidem & votum Sanctiſſimi Sacramenti ſpiritualiter communicant: Secundò ſtrictius pro deſiderio & propoſito ſaltem implicito aut conditionato rei alicujus obligantis, qualia ſunt præcepta: Tertio demum ſtrictiſſimè pro eo quod ſubſtituitur tanquam vicarium alterius ad effectum aliquem conferendum, quem licet conferat, relinquit tamen obligationem per ſe loquendo rem cujus hoc eſt vicarium ſuſcipiendi, hac autem ratione ſe habet contritio reſpectu Sacramenti Pœnitentiæ: imò & idem ſuo modo dici poteſt de attritione cum aliquo ex Sacramentis vivorum, dum per accidens primam gratiam conferunt. Poſtquam verò quis eſt contritus, pœnitentiæ neceſſitate mediis non eſt neceſſaria amplius illi homini vel in re vel voto, niſi iterum peccet, ſed ſolum requiritur neceſſitate præcepti, & concurrat ad ſalutem ſolum negativè, ſicut obſervatio aliorum præceptorum, nempe ne homo ille iterum peccet ſi ad Pœnitentiæ Sacramentum non accedat, cum adhuc ei hæc incumbat obligatio.

*Attritio is-  
terdum eſt  
votum Pœ-  
nitentiæ.*

## DISPUTATIO OCTOGESIMA QUINTA.

### De eſſentiâ Sacramenti Pœnitentiæ.

**P** R I M V M quod in rei cujuſque tractatione inquirendum præſcribitur, nempe an ſit, Diſputatione præcedente circa hoc Sacramentum diſcuſſimus: nunc ergo progrediendum eſt ad ſecundum, & quid ſit Pœnitentiæ, ſeu in quo ejus ſita ſit eſſentia, videndum, & poſtea quale ſit hoc Sacramentum, quas ſcilicet habeat proprietates, ac demum quem in finem inſtitutum ſit, perſpiciemus.

#### SECTIO PRIMA.

##### In quo conſiſtat eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ.

I.  
*Eſſentiam  
hujus Sa-  
cramenti  
ſtatuum  
aliqui in ſo-  
lâ abſolu-  
tione.*



**S** C O T U S in quarto, diſt. decimâ-quartâ, ait, totam Sacramenti Pœnitentiæ eſſentiam in formâ abſolutionis ſitam eſſe, utpote quæ ſola cauſat gratiam: Scotum ſequuntur Major & Gabriel, qui proinde definiunt hoc Sacramentum eſſe abſolutionem hominis pœnitentis. Durandus ulterius addit confeſſionem, aitq; Pœnitentiæ Sacramentum in confeſſione & abſolutione adequatè conſiſtere, cum hæc duo tantum ſint ſenſibilia. Sed hoc ultimum

non urget; ut enim aliquid conſtituat Sacramentum, etiam intrinſecè, ſufficit quod ſit ſenſibile per aliud, hoc autem modo contritio ſeu dolor eſt ſenſibilis, nempe per confeſſionem.

Soto in quarto diſt. decimâ-quartâ, quæſt. 1. art. primo, ait, abſolutionem non eſſe partem hujus Sacramenti, ſed tantum confeſſionem, contritionem, & ſatiſfactionem, quia ſcilicet hoc Sacramentum ſimpliciter nominatur Sacramentum Pœnitentiæ. Sed contra: nam Concilium Florentinum & Tridentinum dicunt verba Sacerdotis eſſe formam hujus Sacramenti, forma autem ſemper eſt de intrinſeco conceptu rei cujus eſt forma: imò Concilium Tridentinum in particulari, ſeſſione decimâ-quartâ, cap. tertio, ait, vim hujus Sacramenti præcipue ſiram eſſe in formâ. Confirmatur: Sacramentum eſt ſignum ſenſibile

II.  
*E contra  
Soto abſolu-  
tioneſ ait  
non eſſe de  
eſſentiâ Sa-  
cramenti  
Pœnitentiæ.*